

git disserendi facultate hypotheses faciens, non principia, sed re vera hypotheses veluti gradus et impetus, ut usque ad insuppositum universi principium profectus attingat illud rursus inhaerens iis, quae ipsi inhaerent, ita ad finem descendat sensibili nullo prorsus coutens,  
5 sed formis ipsis, per ipsas, in ipsas et desinit in formas. Itaque dialectica duplificem habet analysisin, ut ab hypothesibus ad primum omnium principium ascendat, deinde ab eo per antiquos ordinates descendat. Quarum apud Platonicos saepe, sed apud Damascium praecipue illustrissima habemus exempla.

10 Nec vero putandum est has analyses duplificem illam Peripateticorum demonstrationem esse τοῦ ὅτι καὶ τοῦ διότι<sup>xv</sup>, quas vocant *quia et propter quid*. Quibus asserunt duplificem progressum illis fieri ab effectibus ad causas, a causis ad effectus: hae enim simplices duo syllogismi sunt, non autem progressus per  
15 plures et causas et effectus, sibi ad invicem coordinatos ac subalternos. Quorum nullibi locorum Aristoteles ullam fecit mentionem. Averrois potius umbram nescio quam huiusce rei vidit viamque atque ordinem doctrinae videtur nuncupasse.

20 Sed Plato non tam ab effectibus priorem progressum fieri dicit, quam ab hypothesibus, nullo sensibili adhibito, sed ideis ac formis tantum. Quam rem totam 7. quoque libro latius explicans inter alia scribit:<sup>68</sup> *Ita quando quis ipsam dissertationem aggrediatur absque omnibus sensibus per sermonem, ad ipsum quid est, unumquodque appulerit, et non discedat antequam ipsum, quod est bonum, rursus intellectione accipiat, tunc sane in ipso est intelligibilis fine*<sup>xvi</sup>. Hunc autem progressum dialecticam vocat:<sup>69</sup> *Quid ergo, nonne dialec-*

<sup>68</sup> οὗτω καὶ [δ'] ὅταν τις τῷ διαλέγεσθαι ἐπιχειρῇ ἄνευ πασῶν τῶν αἰσθήσεων διὰ τοῦ λόγου ἐπ' αὐτὸ δὲ στιν ἔκαστον ὄρμᾶν [όρμᾶ], καὶ μὴ ἀποστῇ πρὶν ἀν αὐτὸ δὲ στιν ἀγαθὸν αὐτῇ νοήσει λάβῃ [λάβοι], <τότε δὴ> ἐπ' αὐτῷ γίνεται τῷ τοῦ νοητοῦ τέλει [λέγειν]. [PLATO, R. 532.a.5 – b.2]

<sup>69</sup> τὶ οὖν; οὐ διαλεκτικὴν ταύτην τὴν πορείαν καλεῖς; [PLATO, R. 532.b.4]

<sup>xv</sup> Usp. ARIST. A Po. 78b.14.

<sup>xvi</sup> Čini se da je riječ λέγειν u grčkom citatu zabuna, jer je prevedeno kako stoji u kritičkom izdanju.